



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 4. De P. Parente, Naturali Dei, sicut Matre, ita & Amatrice.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

citatisque meæ, diligo, cunctisque rebus plus æstimo, quæcumque Deus non sunt: sed Te uni, solique secundam Deo, uno solo minorem Deo, agnosco, & confiteor, & veneror. Etenim in solâ te plus DEI est: & ex sola te, plus in Deo est, quàm ex omnibus, quàm in omnibus Creaturis. Propter quod, merito charissima, & pretiosissima, & es ipsi Deo, & es pretiosior, amabilior, inæstimabiliorque omnibus simul creaturis.

## EXERCITIUM IV.

De P. Parente, naturali Dei sicut Matre, ita & Amatrice.

1. Statue te coram pretiosissimâ Parente Virgine Maria.

2. Expende eam esse veram, naturalemque DEI Hominis Christi Jesu Matrem.

3. Expendes, per hoc eam naturale jus habere ad Amorem, amicitiamque Dei: hoc est: ad diligendum Deum, & ad diligendum à Deo. Naturali quippe jure, & naturæ ductu amat, amareque debet Deum, utpote filium: & amatur vicissim naturæ debito, atque exigentiâ à Deo, tanquam à Filio.

4. Amat quidem, & amare debet naturaliter etiam omnis Dei Creatura Deum: amaturque item à suo Creatore. Nam Deus nihil odit eorum, quæ ipse fecit: est tamen infinitum discrimen, inter eam naturalitatem, quâ creaturâ obligatur ad Deum Creatorem amandum, quâque à Deo amatur: & inter eam naturalitatem, quâ Deum Maria diligit, & à Deo diligitur. Illa siquidem naturalitas Creaturarum ad DEUM

amandum, est tantum modò servilis, manans ex eo, quia Creatura, creata est Deo, & accepit ab ipso, tum ipsam se, suumque esse, tum reliqua bona ad hoc consequentia: propter quod tenetur debito amandi, colendi, honorandi, obediendi, serviendique in omnibus Deo, ut auctori, factori, benefactori, Dominoque suo absolute. At verò naturalitas, quâ Maria stringitur, duciturque ad amandum Deum: est naturalitas Principiationis, Originis, Maternitatis, & Maternæ, generatoriæque causationis, ac productionis, quâ Maria Deum filium genuit, eique esse, de suâ substantiâ, ut Mater Filio Deo dedit. Qualis naturalitas ad Deum amandum in nullâ penitus esse Creaturâ. Et idem est dicendum de naturalitate quâ Creaturas amat Deus, quâque amat Mariam. Creaturas enim amat Deus, ut Conditor opera sua, ut effectus omnipotentiae suae, ut participationes aliquantulas bonitatis suae. Omnis enim factor, & auctor amat opera sua: maximè, quando Dei perfecta sunt opera. At verò Deus Mariam amat, ut Filius Matrem, ut proles Genitricem, ut opus Auatricem suam: qui fons amoris supremus est inter omnes amoris origines, & obligationes. Quare uni & soli Mariæ dicit Deus: Mater mea es tu: & una, solaque Maria, ex Creaturis, dicit Deo: Filius meus es tu.

5. Quamvis autem, Mariæ in Deum filium, amor sit naturalis, quippe ex fonte Maternitatis connaturaliter fluens: idem nihilominus amor, est etiam supernaturalis: (nisi dicere libeat, quòd in suâ naturalitate, sit quovis alio creato supernaturali amore in Deum, eo ipso excellentior,

tior, qu  
ejus, est  
turalis:  
Maria f  
& verè  
sanguine  
cooperat  
genuit,  
amavit,  
6. E  
mandi D  
Maria,  
prium,  
ab eo, it  
tores,  
mandum  
locandu  
tate, at  
solum,  
mandum  
7. C  
Maria, r  
Deum,  
magna  
ab aliis  
Mariæ  
deduci  
les ama  
dumqu  
mento  
8. P  
turalite  
ad hunc  
ab aliis

tior, quòd naturalior) sicut etiam Maternitas  
ejus, est ita naturalis, ut sit nihilominus superna-  
turalis: supra omnem enim naturam est, quòd  
Maria sit Mater Dei, licet naturalissima sit Mater,  
& verè naturalissimam Humanitatem Filii Dei, ex  
sanguine, ac substantiâ suâ, maternâ operatione,  
cooperante Sancto Spiritu, concepit, formavit,  
genuit, educavit, enutrivit, consequenterque  
amavit, & complexa est.

6. Ex hoc tanto, tamque admirabili jure a-  
mandi Deum, & amandi à Deo, habet quoque  
Maria, jus quoddam sibi peculiare, atque pro-  
prium, quod sicut ipsa Deum amat, amaturque  
ab eo, ita alios etiam, potissimùm amatores, cul-  
tores, clientesque suos, jure suo deducit ad a-  
mandum Deum, & ad amandum à Deo: ad col-  
locandum eos in gratiâ, in amicitîâ, & familiari-  
tate, atque unione Dei: neque ad collocandum  
solum, sed etiam, ad conservandum, ad confir-  
mandum, ad excellendum in eâ.

7. Quia enim maternitas DEI, fons est in  
Maria, naturalis amoris Divini, quo, & amat illa  
Deum, & amatur à Deo: & amoris erga Deum  
magna portio est, dare operam omnem, ut etiam  
ab aliis ametur Deus: inde est, quòd ad amorem  
Mariæ maternum erga Deum, pertineat, à Maria  
deduci alios quoque, ac in his nominatim specia-  
les amatores suos, ad amandum Deum, manen-  
dumque, & perseverandum, cum insigni incre-  
mento in amore, & amicitîâ, & gratiâ Dei.

8. Pariratione: quoniam Deus, ut filius, na-  
turaliter amat Mariam Matrem suam; pertinet  
ad hunc ejus, in ipsam amorem, facere: ut etiam  
ab aliis quàm plurimis, quàm impensissimè ame-  
tur,

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Sicut" and other illegible characters.



tur, & colatur: inde est, quòd Deus plurimis inspiret, & veluti ingeneret, in visceretque amorem erga Mariam: eosque in ejus amore, affectu, & cultu, mirificè, atque omnino magnificè constituat, conservet, atque confirmet: opulentosque ac prædivites faciat.

9. Inde quoque est: quòd Maximum sit signum prædestinationis ad vitam, non rarò etiam Confirmationis in gratiâ Divinâ: Medium quoque salutis, quin & excellentis sanctitatis, donorumque Divinorum ubertatis; Mariæ Matri Dei, esse singulariter devotum, ejusdem Amoris & Honoris, atque Imitationis, ardentè studiosum.

10. Inde quoque est, quòd Amatores, Clientesque Mariæ, in cælo peculiari quâdam veluti Laureolâ, hoc nomine donentur, insignesque inter cæteros Beatos sint: quia eximiè insignes fuerunt in hac Vita; in Dilectione, & veneratione, imitationeque Dei Matris Mariæ.

11. Et hoc est illud: quod Ecclesia, optima sensûs Divini in Scripturis interpres, de Mariâ dictum (post Æternam Sapientiam) affirmat.

*Eccl. 24. 16. In his omnibus requiem quæsi, & in Hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israël hereditare, & in Electis meis mitte radices, & in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in Civitate sanctâ similiter requievi, & in Hierusalem potestas mea: & radica vi in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei. In me gratia omnis Via & veri-*

veritatis: in me omnis Spes Vitæ, & Virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & Hereditas mea super mel, & favum. Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me: vitam æternam habebunt. Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio Veritatis. Non finit, hoc loco, fusiori accommodatione declarare; quomodo hæc Mariæ Dei Matri, ejusque erga suos Amatores, & Clientes, effectui, & curæ, ad amissim, etiam ex mente Ecclesiæ serviant: Non (inquam) finit præsens scribendi modus: sed ea facillimè quisque proposito applicare, atque ex illis fructum, succumque devotissimæ in Dei Matrem, tum dilectionis, tum pietatis, ac devotionis haurire poterit.

12. Interea, cum unusquisque nostrum, nec possit, nec debeat quidquam ardentius desiderare, quàm Gratiam, Amorem, Amicitiam, familiaritatem, unionemque Divinam, radicatum, confirmatam, opulentam, æternam: in quâ ad collocandum nos, Maria, Matris potitur jure, & Maternâ gaudet autoritate: superest, ut totis desideriorum, viscerumque suorum viribus, ac præcordiis, quisque nostrum supplicet huic Pretiosissimæ Matri Gratia, Amicitiaque Dei arbitra, atque thesauraria, ut isto suo Jure nobiscum utatur: introducatque in nos Amorem, Amicitiam, Gratiam, familiaritatem, unionemque Dei Filii sui, ac nos in eâ fundet, radice, confirmet, opulentetque usque ad Mortem: quin & post Mortem, usque ad ipsam, & per ipsam

U 5

ipsam

ipsam æternitatem. Ut non solum nunquam excidamus à Gratiâ, & à charitate Dei, verum etiam in dies, horas, & momenta singula, amplius, ampliusque in eâ crescamus, ac ditescamus, per gravissimam intercessionem, atque adeo potentiam, hujus Pretiosissimæ Parentis nostræ, fundatricisque in statu ac possessione amicitia Divinæ.

## P R A X I S.

**P**retiosissima Mater Dei mei, Domina mea, Virgo Maria; Tu, sicut ipsa es verissima Dei Mater, sic etiam verissimum ac Naturale jus habes ad Amorem, ad Gratiâ, Amicitiamque Dei. Tu Claves portas à Corde Divino. Tu præsidens thesauris Amicitia, & Gratiæ Dei. Tu quem vis Amicum Dei constitutis, ejusque Gratiâ adimpleres, & ditas, & in Amore Divino fundas, confirmasque. O Mater, & Patrona mea: utere hoc jure mecum, & super me, & super omnes tuos in me, meosque in te. Introduce nos ad Amorem, Amicitiamque Filii tui, Dei nostri: Funda & confirma: stabili, & radica nos in gratiâ, & familiaritate ipsius ut ab eâ nunquam excidamus, imò in eâ semper amplius, ampliusque proficiamus, perficiamur, confirmemur, solidemurque, ad Mortem, & in Morte, & in omnem æternitatem.

## EXERCITIUM V.

*Quòd P. Parens sit omnium Creaturarum eminentissima.*

1. **S**tatue te coram Pretiosissimâ Dei Parente Virgine Maria.
2. Expende: quòd Maria sit Mater Dei Altissimi,